

catholicus in die assumptionis beate Marie post missarum
audita solemnia ex devotione sacram communionem
accepisset, dato sibi in calice post ablucionem digitorum
ministrantis sibi eucharistiam ~~recepto~~ intoxicatus fuit; nam
statim post sumptiorem taliter infirmitatem validam in-
currens brevi tempore est extinctus. Dicitur vero Henricus octa-
vus, dum adhuc in vita agens imperii iura strenue admi-
nistraret et rebelles preliis atque bellorum afflictionibus edome-
ret, inter alios sibi principaliter testis Robertus rex Apulie, par-
tem fovens rebellium, tam infra urbem quam extra multa et
foris dicto imperatori ingerens impedimenta, propter quod idem
Henricus imperator processu iudicario contra eundem Robertum
1313 apr. 26. intentato ipsum banno imperiali subiecit et ad sententiam
capitis condemnavit. Quam quidem sententiam non dubium
idem imperator ad executionem usque perduxisset, nisi morte
flebili preventus fuisset. Processum autem et sententiam im-
peratoris contra prefatum regem Bohem mortuo dicto imperatore
Clemens papa quintus postmodum tanquam nullam ^{et} irritam
auctoritate apostolica retractavit prout patet in constitutionibus
Clementinarum de sententia et re iudicata in cap. Pastoral. ^{20]}

Circa eadem tempora et primordia regni prefati Henrici
vacante protunc regno Bohemie, rege ipsius defuncto, nonnulli
de optimatibus et primis eiusdem regni advocantes ducem
Carinthie ^{21]} eundem sibi constituerant regem. Sed dictus Hen-
ricus octavus ad coronam imperii iam electus misit in
1310 oct. ^{20]} cap. II. Clement. de sent. et re iud. (II, 11).
^{21]} Henricum.